

1788.

1. Reckenberg, Carolus Otto, Collegij juri Ncij Starior :
Programma, quo ad memoriam Bonianum nominis
... celebrandam invitat
2. Bauer, Dr. Gorppi, facjus. pro cancellarius :
Programma, quo summas in utroque jure honores
... Georgio Henrico Buse . . . indicat.
3. Bauer, Dr. Gorppi, facjus. pro cancellarius :
Programma, quo summas in utroque jure honores
... Iannicii Gottlieb Friderici . . . tribuendos
indicit.
4. Bauerus, Dr. Gorppi : De personis communis
leximum manus capaces his
5. Franck, Iannicus Gottlieb : De nexu foederum perpet
lue personis inter Augustam domum chartiarium
Palatinorum regnum.
6. Franck, Iannicus Gottlieb : " De jure vicariorum
imperii de fidelis imperio apertis disponendi "
similique et orationem auspicalem invitat.

1748

7. Hommel, Ferdinand Augustus, par j's pucella
rias: Programma, quo sollemnia inauguralia Her-
ris Gottlieb Francke indicat.

8. Hommelius, Ferdinandus Augustus: De probabilitate au-
mentorum signis

9. Hommelius, Ferdinandus Augustus: De poena
jurare voluntatis

10^o Hommelius, Ferdinandus Augustus: De processu
possessorio summariissimo. 2 exempl.

11: Hommelius, Carolus Ferdinandus: De Apolline juris
perito - .

12. Helius, Jakobus Andreas: De sportulio et sumptibus
in iuris judicis faciundis et de executoribus
estimis, ad h.t. lib III Cod: huiusque et ora-
litionem auspicialem invitat.

1748

13. Marcorius, Gottfridus: *Anastomiae selectae juris
naturae et gentium inter Gratium et Papendorfum
controversae* simulque ad orationem artificem in-
vitat.

14. Monckton, Georgeus Tudorius: *Commentatio
legis 18 Cal. de Testibus junct. avolle 90 Cap. 2.³*
similique ad orationem solennem... invitat.

15. Mengius, Fridericus, fac. phil. Recens: *De
re publica litteraria*: *Programma*, quo ad
orationem in memoriam Georgii Ridelii invitat

16. Mylius, Gustavus Haerter, fac. iur. procurat-
orius: *Programma*, quo solennia inaugura-
tio eiusdem Pauli Buschii in dicitur L.

17. Mylius, Gustavus Haerter: *Achmarias peccatus
in Ord. Crim. Con. Art. 149 de inspectione carceri
ris ante expulsuram*.

1748.

18. Richterus, Jo. Tobias: De pacto aviclonis non praestandae inutili.
19. Richterus, Jo. Tobias: De testimonio mulierum in codicillis jure ciuiti invicto.
20. Richterus, Jo. Tobias: Selectiora juris principia. 7.
21. Richterus, Jo. Tobias: Selectiora juris principia
22. Richterus, Jo. Tobias: Selectiora juris principia
23. Richterus, Jo. Tobias: Selectiora juris principia
24. Rissinus, Johannes Florus: De p'scipu'ore inficiant'
25. Rissinus, Johannes Florus: De fine litium ut fini'antur.
26. Romanus, Franc. Gust; fac'jus. procuratorius: Programma, quo solennia inauguralia Insti' Con. Wiens hauer . . . indicat.
27. Sommety, James Gasparius: De legatis pueris non

1748.

28. Sammet, Thales, Greifsw.: Inscriptio juris ciuitatis
ad dominium Neptunum cap LXIX. pro socio.
29. Siegel, Ioh. Gottlieb: De solo translatione dominii
imperiale.
30. Siegel, Ioh. Gottlieb: De divisione fidei successio-
nem simultaneam investitores non restringente.
31. Wiesenhauer, Iohes Coriolus: De jure maiestatis sacro-
rum dirigendorum.
32. Wiesenhauer, Iust. Cas.: De jure conventionali
sacrorum dirigendorum.
33. Zoller, Fridericus Godefrid: De disponibili paten-
tia iuxta liberos, quae post obitum patris ab
uno ex filiis preferitur, valde.
34. Zoller, Fridericus Godefrid: De moderatione in
culpabilibus adulteris competentie

11902.

N^o 16

1748, 20.

DISPVTATIO IVRIDICA
SEPTIMA
**SELECTIORA IVRIS
PRINCIPIA**

A D

ORDINEM DIGESTORVM EXPOSITA
LIBRI III. SPECIMEN II. CONTINENS

Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
INDVLTV
P R A E S I D E
IO. TOBIA RICHTERO
PHIL. ET I. V. D.

AD DIEM IV. SEPT. A. C. N. MDCCXLVIII.

H. L. Q. C.

PVBЛИCE VENTILANDAM PROПONIT
IOANNES CHRISTFRID GRADEHAND,
DELITIO - MISN.

L I P S I A E
LITTERIS LANGENHEMIIS.

Jo. 2. Böck

*DISPUTATIO IURIDICA
S E P T E M B R I*

S E L E C T I O R A J A V I S

P R I N C I P I A

*ORDINARIA DICOBATUR ET EXPOSITA
PRIMUM SPECIMEN IN CONTINENS*

ILLUSTRIES IOTORUM ORDINIS

INDIVI

GRATIAS DIC

I O. T O R I A R I G H T R Y O

PHILETUS AD

AD DINI ET SCVLPI QM MECZIANI

ET C.

PAPALIS AVANTILANDIA PROLOQUENT

I O A N N E S C H R I S T I A N U S G R A D E H A N D

DITTO - MECZ.

L I G S I A E

DITTEBIS LANGENHORN

ILLVSTRISSIME COMES

ILLVSTRISSIMO DOMINO
DOMINO
ANTONIO AVGVSTO
S. R. I. COMITI
AB HAGEN

DYNASTAE IN BIENDORFF ET DOEBERNITZ REL.
POTENTISSIMI SARMATARVM REGIS ET
SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIAE
CVBICVL COMITI AMPLISSIMO

DOMINO SVO GRATIOSISSIMO.

ILLVSTRISSIME COMES

AC DOMINE,

DOMINE GRATIOSISSIME!

*S*i, quanto maiora in nos extant gratiae signa, tanto gratiiori animo colendus et venerandus est is, a quo ea profecta sunt: dubitare non potes, COMES ILLVSTRISSIME, quin tanto maiora TIBI mediter animi gratissimi documenta, quo maiora ea sunt, quibus me a TE auctum ornatumque esse

*esse venerabundus intelligo. Tanta
enim gratia, tantaque benevolentia
et patrem meum, et me ipsum digna-
tus es, ut magnam omnino beneficio-
rum plane singularium deprehendam
seriem.*

*Quae cum ita sint, patere, COMES ILLVSTRISSIME, vt
pietatem et animum TIBI deditissi-
mum publico significaturus specimine,
hanc dissertatiunculam, quam publico
loco defendendam mibi proposui, IL-
LVSTRISSIMO NOMINI
TVO addicam et consecrem. Et*

enim

enim cum in eius defensione studio-
rum primitias ostendere liceat, TIBI
vero omnis vita mea merito dicata
sit: cui potiori iure debeatur, praec-
ter TE, inuenio neminem. Acci-
pias igitur ea, qua me ipsum fronte
soles, hoc qualemque meae in TE
pietatis et grati animi testimonium,
et qua hucusque me fouisti gratia,
eadem me in posterum quoque tuearis,
ut qui, quoad hac luce fruar, nun-
quam non ero

NOMINIS TVI ILLVSTRISSIMI

Lipfiae
Ipsius Kalend. Septembbris
A. C. N. MDCCXLVIII.

SUBIECTISSIMVS CVLTOR
IO. CHRISTFRID GRADEHAND



SELECTIONVM IURIS
PRINCIPIORVM
AD DIGESTORVM
LIBRVM III. SPECIMEN II.

I.

uamquam Vlpianus admodum sibi
contrariari videtur, dum alibi af-
firmat: ^{a)} *crimen stellionatus in-*
famiam irrogare damnato, quam-
uis publicum non est iudicium, alibi vero sta-
tuit: ^{b)} *stellionatus iudicium famosum quidem*
non esse, sed coercitionem extraordinariam ha-
bere; tamen non deficit medium conciliandi.
Idque Vlpianus ^{c)} partim ipse suppeditat,
dum ait: *crimen stellionatus extraordinariam*
habere coercitionem, ^{d)} ac toties illi locum
esse, quoties titulus criminis deficit. Poena
igitur

8 SELECTIORA IVRIS PRINCIPIA

igitur stellionatus nulla legitima esse potest, sed grauior quandoque et etiam leuior, prout criminis circumstantiae hoc desiderant. Videlicet inde Legem utramque sua niti ratione, qua stellionatus reo damnato infamia irrogatur, et interdum irrogari ne quidem potest. Partim haec illustrat et corroborat Macer ^{a)} cuius verba sunt: *Infamem non ex omni criminis sententia facit, sed ex eo quod iudicij publici causam habuit. Itaque ex eo crimen quod iudicij publici non fuit, damnatum infamia non sequetur, nisi id crimen ex ea actione fuit, quae etiam in priuato iudicio infamiam damnato importat; veluti furti, vi bonorum raptorum, iniuriarum.* Iam crimen stellionatus plerumque committitur, sic, ut concurrat cum facto quodam principali, quod in se est vel famosum vel non famosum, ^{b)} adeoque an stellionatus crimen infamiam importet nec ne, facillimum inde est diudicatu: vel ob malitiae delinquentis cumulum index decreto infamiam comprehendendam statuit, ubi crimen stellionatus eo ipso famosum sit, ut exemplum in suspecti tutoris crimen habemus. ^{c)} Perperam igitur ex altera Lege vocem non tolli quidam volunt. ^{d)}

- a) L. 13. §. vlt. ff. de his qui not. infam.
b) L. 2. ff. stellionatus.

c) all.

AD DIGEST. LIB. III. SPECIM. II. 9

- c) all. L. 2. ff. stellion.
- d) L. 3. §. 1. in f. ff. eod.
- e) L. 7. ff. de publ. iudic.
- f) quod monstrant species in L. 3. §. 1. ff. stellionat. ad-
ductae.
- g) L. 4. §. 1. 2. 3. ff. de suspect. tut.
- h) vt SALMASIVS de Modo Vsurar. c. 14.

II.

Procurator quatenus, vt loquitur Vlpia-
nus ^{a)}) aliena negotia mandato domini pera-
git, merito tum iuris civilis tum canonici
auctoritate, ac ipsa denique naturali aequita-
te, vel cum vel sine libera potestate agendi,
constituitur, ita vt illo casu mandatarius et
iam quae vergunt in mandantis praeiudicium
valide suscipiat. Sic iure civili procurator
omnium rerum ^{b)} pacisci, ^{c)} iuramentum
deferre, ^{d)} pignus constituiere, ^{e)} nouare, ^{f)}
soluere et per solutionem dominium transfer-
re ^{g)} potest, dummodo diligentiam debitam
Legibusque iniunctam adhibeat. ^{h)} Quid
haec aliud, quam cum libera mandasse signi-
flicant? Quomodo quaequo quis omnium re-
rum procurator esset, nisi liberam in omni-
bus negotiis exerceret administrationem?
Quod enim restringi posset mandatum, vel
inde palam est, quia mandans etiam non po-
terat mandare. Iure canonico ⁱ⁾ expressis ver-

B

bis

10 SELECTIORA IVRIS PRINCIPIA

bis cautum: posse procuratorem generaliter constitutum admitti ad omnia, etiamsi mandatum exigant speciale, si modo vel aliquis de articulis speciale mandatum exigentibus, specificatus fuisset, adiecta clausula generali, vel causae administratio libere sit concessa. Tandem aequitatis ratio in eo est ponenda, quod sibi imputet mandans, cur cautijs haud egerit in committendo, adeoque nunc sua culpa sentiat damnum; hinc mandans ut in illius praeiudicium procurator transfigat, renunciet, litemque affirmatiue contestetur, et id genus alia, pati omnino iure tenetur. Quibus tamen positis non nego, procuratorem vnius rei quandoque ob largam pacisendi potestatem cum libera non minus constitui posse.

- a) L. 1. pr. ff. de procurat.
- b) L. 1. §. 1. ff. cod.
- c) L. 10. §. 2. in f. L. 11. et 12. ff. de pact.
- d) L. 17. §. f. ff. de iure iurand.
- e) L. 11. §. f. L. 12. ff. de pignorat. act.
- f) L. 20. §. 1. ff. de nouat.
- g) L. 87. ff. de solution.
- h) L. 13. C. Mandat.
- i) c. 4. de procurat. in 6to. De iure Saxon. vid. O. R. Tit. VII. §. 2.

Obst. c. 5. de procur. in 6to.

Dissent. LAVTERBACH Colleg. Pand. Lib. III. tit. 3.

§. 9. dictam diuisiōnēm iuri ciuilī cognitām nēgans.

III.

AD DIGEST. LIB. III. SPECIM. II. II

III.

Quotiescumque donaturus praesumitur dominus ut bonus paterfamilias, toties et illius procurator omnium rerum seu cum libera constitutus merito donat. Procurator enim hac parte cum tute et curatore, quatenus administrant, in pari versatur causa: hi vero ut boni patresfamilias, veluti ob dignitatem, pietatem, utilitatem etc. donare non prohibentur; ^{a)} hinc et ille procul dubio eodem gaudebit iure. ^{b)} Accedit, quod eiusmodi procuratori negotia omnia nomine domini expedienda sint commissa; quare ut etiam omnia valide peragat, quae dominus ipse agere potest et vult, necessè est. Tandem et culpam leuissimam praefstat; vnde vix verendum, ne donaturus sit, ubi dominus ipse non donasset. ^{c)}

a) arg. L. 33. pr. ff. de administ. et peric. tutor.

Oibit. L. 22. ff. eod.

b) arg. L. 28. §. 2. in f. ff. de paet. adde L. 10. C. de procurat.

Oibit. L. alleg. 28. §. 2. ff. de paet.

c) L. 13. C. Mandat.

IV.

Omnis procurator iure ciuili, mandato tantum interueniente recte constituitur. Nam Paulo teste ^{a)} ea obligatio, quae inter domi-

12 SELECTIORA IURIS PRINCIPIA

num et procuratorem consistere solet, mandati actionem parit. Quod Gaius^{b)} sic affirmat: procurator id, quod ex lite consecutus erit, debet mandati iudicio restituere. Ad haec Diocletianus et Maximianus impp.^{c)} a procuratore dolum et omnem culpam, non etiam improsum casum praestandum esse iubent, quippe quod abunde ostendit, neque per locationem conductionem, neque per contractum innominatum constitui procuratorem, quoniam in horum neutro culpa leuissima praestanda est. Cuius itaque operas conduxi, is locator: quem vero ex innominato contractu obligatum habeo, is ex eodem negotio in specie obligatus nominari meretur.^{d)} Nec est, quod tantum nominis diuersitatem subesse censeamus, sed reale discrimen in eo versatur, vt procurator omnem, alii autem minorem praestent culpae gradum.

a) in L. 42. §. 2. ff. de procurat.

b) L. 46. §. 4. ff. eod. add. L. 56. §. f. ff. mandat. et L. 9. C. eod.

c) L. 13. C. mandat.

d) L. 1. §. 4. ff. mandati et §. fin. I. de mand.

Dissent. IVL. PACIVS Isagogicor. in Digesta L. III. tit.

3. n. 6. inter dominum et procuratorem et actionem

locati conducti ob L. 1. §. vlt. ff. mand. et §. vlt. I.

de mand. et actionem de praescriptis verbis ob L.

22. ff. de praescript. verb. et §. 1. I. de locat. nasci

statuens.

V.

Nostri procuratores forenses primum qualitatem in genere, qua fungi hoc officio possunt, publica plerumque auctoritate accipiunt. ^{a)} In specie vero, vt sint procuratores in hac lite, si analogiam iuris ciuilis sequi cupimus, non nisi contractu innominato constituuntur, quia non gratis, sed salario quodam conueniente praestito, operas adhibent; quod fusi Ordinationes taxationum sportularum testantur. ^{b)} Vel si dicendum, quod res est, moribusque adhuc magis conuenit, solum pactum inter dominum et procuratorem initum, iam sufficit, quo hic eandem, vt olim per mandatum, potestate, omnia nomine domini in iudicio peragendi, nec non ius petendi salarium, nanciscatur.

a) GAILIVS L. II. Obs. 43. n. II. Ex iure Saxonico vid. Mandat wegen derer Aduocaten de ao. 1723. §. 1. 2. et O. R. Tit. III. §. 1.

b) Apud Saxones vid. die Königl. Churfürstl. Sächsl. Verordnung de ao. 1724. vbi impensae iudiciales aequae ac aduocatorum procuratorumque determinantur.

VI.

Pactum quo constitui procuratores modo affirmavi, experientia teste, per scripturam eine Vollmacht perficitur, nec facile tacita quaedam constituentis declaratio, aut charta blanca, quam vocant ein bloßes Blanquet

14 SELECTIORA IURIS PRINCIPIA

zur Vollmacht, in foro admittitur. ^{a)} Haec scriptura ita quidem debet esse comparata, vt siue in iudicio, siue extra iudicium confessa sit, inde appareat, a quo, cui, quid et quando sit commissum; nolim tamen ut eadem ex necessitate contineat, aut mentionem heredum ^{b)} cum iam ipso iure obligentur heredes, ^{c)} et mentio heredum naturam mandati mutare nequeat: aut clausulam rati et grati, quia mandans ex natura mandati, gesta mandatarii ratihabere tenetur: ^{d)} aut promissionem indemnitatis, quia nemini, vel sicut commune est, vel domesticae Legis auctoritate, ^{e)} officium hoc damnosum esse debet: aut oppignorationem bonorum, quae in se hoc loco superflua est et in procuratoris tantum utilitatem tendit. Subsignatio quoque hic nihil efficit.

a) CARPZOV. P. I. Const. 1. def. 28. et 29.

b) neque ad evitandas litium reasumptiones; nam heredes iam ipso iure aut continuare litem et mandatum defuncti, aut mutationem fieri potuisse et factam docere obstricti sunt. Nou. 48. praef. et c. 1. pr. §. 1. L. 59. L. 62. ff. de R. I. Imo post litis contestationem vid. L. 34. ff. de iudic. L. 87. et 164. ff. de R. L. Obft. Rec. Imp. de anno 1654. §. 99. et arg. L. 15. C. Mandat. L. fin. ff. de solut.

c) arg. L. 11. C. de contrah. stipul. L. 14. C. de R. V.

d) arg. L. 6. pr. ff. de condic. indeb. v. B. LVD. MENCHEN Disput. V. tit. 7. § 6. conf. et O. R. Tit. VII. §. 1.

e) conf. in Saxonia die Tax Ordnung.

VII.

VII.

Intuitu domini mandantis procurator nec olim post litem contestatam fiebat litis dominus; mandatum enim, quo constituebatur, nunquam titulus ad dominium transferendum fuit habilis, sed procurator negotia aliena administrabat: ^{a)} deinde in Legibus domino semper contradistinguitur procurator ^{b)} adeoque idem vterque esse nequit. Aet ratione aliorum, tum iudicis tum partium, non nego, procuratorem post litem contestatam dominum litis effectum esse, propterea forte, ut statuit Brunnemannus: ^{c)} quod et iudicis interest, cuius auctoritas postulat, ne semel constituto iudicio mutationem temere fieri patiatur, et aduersarii non minus refert, ne varietur iudicium mutatione personarum, in quas per partum litis contestationis ius ipsi quae situm est. Et hoc respectu dominium litis, quin adhuc hodie procuratoribus post litem contestatam competit, nihil est impedimento; ^{d)} nam et hodiensem procurator litem veluti suam peragere potest, et si mandanti de culpa teneatur. Facultas tamen reuocandi, nisi ex iusta et a iudice approbata causa, ^{e)} nec antiquo nec hodierno iure ex dominio litis deriuatur.

a) L. i. pr. ff. de procur.

b) vid. L. 8. §. 3. L. 10. L. 16. ff. eod.

Obst. L. 22. L. 23. C. de procurat.

c) ad

16 SELECTIORA IURIS PRINCIPIA

- c) ad L. 22. C. de procurat. n. 4. 5. 6.
d) arg. L. 32. §. 6. C. de appellat. c. 9. X. de probat. conf.
LAVTERBACH Conclus. Forens. Exercit. XI. §. 10.
Dissent. BACHOV. ad Treutl. Vol. I. disp. 9. th. 10.
lit. F. BERGER Oeconom. Iur. Lib. IV. tit. 9. §. 2. not.
16. aliquie.
e) quae et iure Saxon. obtinet O. R. tit. VII. §. 4.

VIII.

Quibuscunque curatoribus concessa est administrandi potestas, illis et ius competit et ante et post litem contestatam constituendi procuratorem; ^{a)} illi enim procul dubio sunt domini negotiorum, hinc etiam in eorum utilitatem, dum rebus suis ipsi superesse non possunt, procuratores introducti sunt. ^{b)} Idque quod ad effectum ob dictas rationes verissimum esse affirmo, quamuis rigor iuris aliud velle videatur. ^{c)} Qui igitur sunt curatores litis tantum aut sexui tanquam a consiliis dati, illi et eiusdem generis alii, sicut soli nihil unquam valide agunt, ita nec procuratorem soli constituunt. ^{d)}

- a) arg. L. 1. §. 2. et 3. ff. de administrat. et peric. tutor. et
L. 20. C. de procur.
b) arg. L. 1. §. 2. ff. de procurat.
c) §. f. I. de curat. L. 11. C. de procurat.
d) LAVTERBACH. Conclus. For. Exercit. XI. §. 5.

IX.

In causa criminali hodie et quidem in processu accusatorio ex parte accusatoris facile procurator

curator admittitur, non, vt arbitrantur nonnulli, ob cessantem inscriptionem in crimen, sed ob Legis dispositionem,^{a)} qua, postquam reus carceri est inclusus, accusator vel eius mandatarius ad cautionem praestandam adigitur. Ex parte rei vero, vt et in processu inquisitorio regulariter procuratorem non admitto, ne iudicia reddantur elusoria,^{b)} quod continere partim in inquirendo, partim in puniendo, vbi sententia in persona procuratoris haud exequenda ferretur, possit.^{c)} Quoties tamen aequae per procuratorem ac reum satisfieri potest, etiam si contumax, adeoque confessus atque coniunctus declaretur delinquens, nihil vice deo, quod impedit, quo minus quilibet, siue accusatus, siue inquisitus plene per procuratorem defendatur.^{d)} In casu diuerso, vbi procurator omnia dicto modo adimplere nequit, actus in processu merito separandos esse affirmo.

a) Ordin. Crimin. art. 12.

b) arg. L. 75. ff. de iudiciis.

Obst. L. 33. §. 2. ff. de procurat.

c) conf. BRONCHORST. *Evaric-Petrus* Centur. I. assert. 34..

d) vid. L. 1. ff. an per al. caus. appell.

Obst. c. 15. X. de accusat. et L. pen. §. 1. ff de publ. iudic.

X.

Potestne procurator ab eo, cum quo ex mandato contraxit, ex suis gestis finito etiam officio conueniri? Id quidam affir-

C
mant.

18 SELECTIORA IURIS PRINCIPIA

mant. ^{a)} Ego distinguendum existimo: an quis fidem procuratoris in specie sit sequutus, an non? Si prius, procurator tenetur, eoque pertinet sententia Papiniani: ^{b)} procurator, qui pro euictione praediorum, quae vendidit, fidem suam adstrinxit, et si negotia agere desierit, obligationis tamen onere praetoris auxilio non leuabitur. Sin posterius, teneri finito mandato amplius non potest, quia sciuit alter, procuratorem non suo, sed alieno nomine contraxisse, adeoque domini magis, quam procuratoris contemplatione non nihil fecisse praesumitur. ^{c)}

^{a)} ob L. 49. ff. et L. 7. C. Mandat. L. 67. ff. de procurat.
^{b)} all. L. 67. ff. de procurat.

^{c)} arg. L. vlt. ff. de institutor act. et L. 6. §. 1. ff. de negot. gest.

Obst. L. 1. §. 17. ff. de exercit. act.

Dissent. BRONCHORST Evantio^Qevow Cent. I. assert. 37.

XI.

Quasi procuratorem, seu praesumtum quem vocant, si quaesueris in Legibus, oleum et operam perdes. Consensum enim praesumtum ex iure probari non posse supra docuimus. ^{a)} Quae vero Vlpianus habet: ^{b)} Sed et hae personae procuratorum debebunt defendere, quibus sine mandato agere licet, et porro ^{c)} in his personis, in quibus mandatum non exigimus, praesumtum procuratorem neuti-

neutquam fistunt; nam sine mandato agere et cum praesumto mandato agere, ut nemo non videt, manifesto sunt contraria. Cur igitur terminis vtendum, qui rem non tantum difficultem reddunt et obscuram, sed etiam Legibus inuitis detortisque inuenti sunt? Interim res eo redit: quaedam personae sine mandato, Legis tamen auctoritate, procuratoris officio fungi possunt, dummodo 1. in se sint idoneae 2. nec contra voluntatem domini experiantur ac 3. ratam rem dominum habiturum caueant. ^{a)} Quibuscumque igitur haec potestas Lege concessa non est, illi nec sine mandato valide quicquam suscipiunt. Ceterum siue casus mandati specialis peragendus sit, siue dominus expresse mandare nequeat, nihil nocet, quoniam dicta omnia non tam ab arbitrio domini quam a Legis dispositione pendent, qua cum distinctum non sit, nec nostrum erit distinguere; ^{b)} imo eum in finem cautio de rato praestatur.

- a) Disp. V. posit. 13.
- b) L. 35. pr. ff. de procurat.
- c) L. 40. §. 4. ff. eod.
- Obst. L. 40. §. 2. ff. cod.
- d) all. L. 40. §. 4. et L. 36. ff. eod.
- e) arg. L. 35. pr. ff. eod.

Obst. L. 27. pr. ff. de minoribus et L. 7. C. de R. C.

20 SELECTIORA IURIS PRINCIPIA

Dissentient LAVTERE. Colleg. Pandect. Lib. III. tit. 3. §. 20.
STRV. Synt. Iur. Civil. Exercit. VII. th. 28. pluresque.

XII.

Vniuersitas, vbi actoris vice fungitur et syndicum constituit, beneficio diuisionis renunciare non debet; nondum enim est iuris explorati, dictum beneficium competere vniuersitati, quia, quod vniuersitati debetur, singulis non debetur: nec quod debet vniuersitas, singuli debent.^{a)}) Nec omissa hac renunciatio ne syndicus ad cautionem pro re conuentione et expensis adstrictus censendus est; non enim cum syndico sed cum vniuersis principaliter, et quoad iuris effectum agitur; hinc vel ipsa vniuersitas cauebit vel si immunis est, aduersarius eandem meliori iure ac effectu reconuenire, ab eademque expensis repetere poterit, quam si ius quoddam particulare in persona syndici eo nomine constituendum curauerit.^{b)})

a) L. 7. §. 1. ff quod cuiuscunque vniuers. nom. Idem in
Saxonia confectum est. O. R. Tit. VII. §. 6.

Dissent. SCHWENDENDOERFF. ad Fibig. p. 207.

b) arg. Nou. XCVI. praef. et c. 1.

Dissent. BRUNNEM. Proc. Ciui. c. 8. n. 8.

XIII.

Duo pluresque ex vniuersitate nomine illius agentes, quoties de rato vel iudicatum solui cauerent, non quidem defectum supplant syndicatus quia syndici plane non sunt; attamen

men quod ita suscipiunt nomine vniuersitatis
aeque ut syndici valide peragunt; Nam qui
causam communem litemque habent, praes-
entes pro absentibus ut litis confortes sine
mandato semper idem negotium dicto modo
agere possunt.^{a)} Et quid praeterea inter-
est partis aduersae, siue instrumentum solenne
syndicatus exhibeatur siue tantum idonea cau-
tio praefetur? cum vtroque casu habeat, quo
victoriam reportans executioni sententiam
possit mandare, aeque ac si cum omnibus egis-
set. Ita forte Carpzouius^{b)} cum Lauterba-
chio^{c)} conciliari poterit, quorum ille dicto
casu defectum syndicatus cautione praefita
suppleri posse affirmat, hic negat.

a) L. 2. C. de confort eiusd. lit.

b) Decis. Illustr. Saxon. P. III. Decis. 205.

c) Conclus. Forens. Exerc. XI. §. 13. ob L. 7. §. 1. ff.
quod cuiusc. vniuersit. nom. et L. 6. §. 1. ff. d. R. D.

XIV.

Leges, quae sibi contrariae videntur,
saepenumero tantum ex diuersitate circum-
stantiarum propositi casus conciliantur, quod
inde praecipue patet, quia pleraque ad casus
tunc obuios directae sunt, minima vero cir-
cumstantia rem variat. Is igitur in eiusmodi
casibus acu rem tangit, qui diuersitatis ratio-
nem eruit^{a)} neque alium ambiguitatis fucum

C 3

sibi

22 SELECTIORA IVRIS PRINCIPIA

sibi singit! Exemplum suppeditat Papinianus, qui mox respondet:^{b)} ignorante virgine mater a sponsō filiae res donatas suscepit, quia mandati vel depositi cessat actio, negotiorum gestorum agitur; mox autem haec tradit:^{c)} die sponsaliorum aut postea res oblatas puellae, quae sui iuris fuit, pater suscepit; heres eius ut exhibeat, recte conuenietur etiam actione depositi. Quilibet saniora principia secuturus facile videbit, discrimen praecipuum hic in eo versari, ut Lex prior casum ignorantiae filiae adeoque negotium vere gestum: posterior vero scientiae casum, adeoque depositum nisi verum, tacitum tamen supponat.

a) L. 2. §. 15. L. 3. §. 15. C. de V. I. E.

b) L. 32. §. 1. ff. de negot. gest.

c) L. 25. pr. ff. deposit.

XV.

Negotiorum gestor in regula non nisi cul-
pam leuem, et quidem in abstracto, quam vo-
cant, praefstat. Probat hoc partim expressa Le-
gis dispositio, partim finis negotiorum gestio-
nis. Ita Lex:^{a)} citra mandatum negotium alienum
sponte gerenti, finem administrationis
propria voluntas facit, ac satis abunde sufficit,
si cui vel in paucis amici labore consulatur.
Porro Lex eadem pergit: super his, quae nec
tutor nec curator constitutus, vltro quis ad-
mini-

ministravit, non tantum dolum et latam culpam, sed et leuem praestare necesse habet. Obesse quidem videtur, quod eodem loco tutori vel curatori similis non habeatur negotiorum gestor, cum tamen illorum vterque leuem non minus culpam praestet; sed hanc inde cognoscimus veritatem, negotiorum gestorem semper ad culpam leuem in abstracto teneri, cum e contrario tutor vel curator ad augendam diligentiam in concreto culpam leuem adhibere obstringatur.^{b)} Finis negotiorum gestionis, vti ab ipso imperatore traditur,^{c)} is est, ne illorum qui sibi met ipsi prospicere impediuntur, negotia deserantur. Quodsi nunc doli seu latae culpae praestatio sufficeret, plurimi gerentes domino non tam consulerent, quam in illius praedi-
cium gererent: Sin autem leuissima esset praestanda, nemo facile aliena negotia curaret. Ne itaque temere quis accedat ad negotiorum gestionem, nec plane deficiat gestor, culpa leuis merito praestanda est. Ceterum extendi quandoque et restringi culpam prout maior vel minor est negotiorum necessitas ipse affirmo.^{a)}

a) L. 20. C de negot. gest.

b) L. 1. pr. ff. de tutel. et rat. distracti.

c) §. 1. l. de obligat. que quasi ex contr. nasc.

Obst. all. §. 1. in fin. I. de obl. que quas. ex contr. nasc.

L. 25. §. 16. ff. fam. hercif. L. 1. §. 35. ff. deposit.

vid.

24 SELECTIORA IURIS PRINCIPIA ETC.

vid. tamen LAVTERB. Collect. Pandect. L. III. tit. 5.

§. 17. 18. 19. Dissent. STRYK ad §. 1. I. de obl.
quae qu. ex contr. ob. L. 24. C. de vfur.

d) all. §. 1. de obl. quae qu. ex cont. L. 6. §. 3. L. 11. L. 3.
§. 9. ff. de negot. gest.

XVI.

Qui ex negotio gesto pecuniam acceptam in suos conuertit vesus, is non centesimas sed consuetas legitimas tantum praestat vsuperas. ^{a)} Primum enim negotiorum gestio est negotium bonae fidei, ^{b)} vnde ob sui naturam quod ex bono et aequo fluit, non autem quod singulare est, debetur. Huc et maxime spectat assertio Papiniani: ^{c)} cum iudicio bonae fidei disceptatur, arbitrio iudicis vsuperarum modus ex more regionis vbi contractum est, constituitur, ita tamen ut Legi non offendat. Deinde satis vtiliter et tanquam bonus paterfamilias gessisse dicendus est is, qui domino negotii vsuperas legitimas praestat, quippe his quilibet regulariter contentus esse, nec facile negotium, quo vltra modum vsuperas ob concurrens periculum accipere licet, suscipere solet. Sed neque harum vsuperarum ratio habetur, si finitum est iudicium sententia, et omissa in vsuperas condemnatione, res iudicata adest. ^{d)}

a) L. 19. §. 4. ff. de negot. gest. add. L. 10. §. 3. ff. mandat.

b) §. 28. I. de act. L. 18. C. de negot. gest. L. 13. C. de vfur.

c) L. 1. pr. ff. de vfur.

Dissent. ARVMAEVS Exercit. ad Pand. Disp. V. th. 22.
ob. L. 38. vers. sed quas. ff. de negot. gest.

d) L. 13. C. de vfur.




ULB Halle
004 195 175

3



f
Sl.



91903.

N° 16

1748, 20.

D I S P V T A T I O I V R I D I C A
S E P T I M A
**SELECTIORA IVRIS
PRINCIPIA**
A D
ORDINEM DIGESTORVM EXPOSITA
LIBRI III. SPECIMEN II. CONTINENS
Q V A M
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
INDVLTV
P R A E S I D E
IO. TOBIA RICHTERO
PHIL. ET I. V. D.

AD DIEM IV. SEPT. A. C. N. MDCCXLVIII.

H. L. Q. C.

PVBLINE VENTILANDAM PROPONIT
JOANNES CHRISTFRID GRADEHAND,
DELITIO - MISN.

L I P S I A E
LITTERIS LANGENHEMIIS.